



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. V. Vtrum in generatione vermiu[m] ex speciebus Eucharisticis
adveniat nova materia à Deo producta, ex cujus potentia educatur forma
vermis, vel ipsa quantitas tunc gerat vices materiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

quomodo scilicet possit aliquid generari ex speciebus Eucharisticis, cum sub illis nulla sit materia ex qua forma educatur, recurrit ad quantitatem specierum, & ait illam in tali generatione gerere vices materiae: non deberet autem S. Doctor ad hoc recurrere, nec tantopere laborare ad inveniendum subiectum ex quo forma educatur, si existimaret ibi nullam intervenire formae educationem, sed quantitatem panis in totum compositum de novo genitum converti, ut docent Recentiores illi Thomistae contra quos disputamus: Ergo & c. In quo verò sensu intelligendum sit id quod ait S. Thomas, nempe quantitatem in praedicta educatione & generatione vermium, gerere vices materiae, explicabimus articulo sequenti, ubi etiam rationi dubitandi initio hujus articuli proposita, plenè satisfaciemus.

ARTICULUS V.

Utrum in generatione vermium ex speciebus Eucharisticis, adveniat nova materia à Deo producta, ex cujus potentia educatur forma vermis, vel ipsa quantitas tunc gerat vices materiae?

37. **F**uit olim celebris opinio quorundam Theologorum existimantium quod quando ex speciebus Eucharisticis generatur aliquid, nulla producitur à Deo materia prima, ex cujus potentia educatur forma substantialis geniti; sed quod ipsa quantitas tunc gerat vices materiae, non solum ad recipiendum dispositiones praevias, sed etiam ad educationem formae substantialis compositi de novo geniti, ita ut compositum illud constet solum quantitate & forma substantiali. Ita docent Henricus quodlib. 4. quaest. 36. Egidius Theophrastus 4. 4. & 45. Ruardus Taper art. 14. & ex Thomistis Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 66. & Vignerius in institutionibus Theologicis cap. 16. §. 3. Illi etiam aperte favere videtur S. Thomas hic art. 5. in corp. ubi haec scribit: *In ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensiva panis & vini, quod sit primum subiectum subsequenti formae: hoc autem est proprium materiae, & ideo ex consequenti datur praedicta quantitati dimensiva omne illud quod ad materiam pertinet, & ideo quicquid posset generari ex materia panis, si adesset; totum potest generari ex praedicta quantitate dimensiva panis & vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.*

Dico tamen, quando ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, produci à Deo materiam primam, ex cujus potentia educitur forma substantialis geniti, & in qua recipitur, & non in quantitate.

38. **P**robatur primò ex D. Thoma in 4. dist. 12. quaest. 1. art. 2. quaest. 4. ad 4. ubi haec scribit: *Secundum quamlibet positionem oportet penere aliquid in hac generatione esse miraculosum, & aliquid naturale: reditus enim substantia, vel creatio materiae, vel conversio dimensionum in materiam, est miraculum. Sed quod materia jam existens recipiat talem formam, cujus dispositiones praecesserunt in dimensionibus, hoc est naturale.* Quibus verbis clarissimè docet, quod quando ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, producitur à Deo materia prima, vel per creationem, vel per conversionem quantitatis in ipsam.

A Nec valet expositio Ferrariensis, dicentis per conversionem dimensionum in materiam, non intelligere D. Thomam delitionem dimensionum, & successionem materiae loco ipsarum, sed proprietatem ipsarum in proprietatem materiam, in quibus manentibus, & vim substantialem, recipitur forma substantialis. Non valet, inquam, haec interpretatio, repugnat enim manifestè menti S. Doctoris, nam hic art. 2. ad 4. asserit quantitatem specierum, quæ in tali consecratione, transire in substantiam, & dimensionem rei scilicet genitæ ex ipsa. Et art. 6. in corpore dicitur: *Quod species sacramentalis potest converti in substantiam aliquam.* Et ibidem cum dicitur opposuisset quod non videretur nutritio posse fieri ex speciebus sacramentalibus, quia ex illis nutritur ex quibus sumus, homo autem non constat speciebus sacramentalibus, cum nullum accidens possit esse pars substantiae: sic respondet. *Ad secundum dicendum quod species sacramentalis, etsi non sint ea, ex quibus corpus hominis constatur, tamen in ea convertuntur, sicut dictum est.* Ergo, censet D. Thomas, tunc non manere quantitatem quæ gerat vices materiae, sed eam converti in substantiam quæ homo nutritur. Unde in 4. dist. 12. quaest. 1. art. 2. quaest. 5. ad 2. sic ait: *Antientia manentia in suo esse accidentali non nutriunt, sed eo modo quo in aliud convertuntur, vel aliud in creatur, vel redit.* Quibus verbis aperte declinat, in nutritionem hominis ex speciebus sacramentalibus, vel in generationem vermium ex illis, accidentia separata non manere ut subiectum formarum substantialium; quamvis sub eorum relictis, an materia ex qua constatur genitum, fiat per conversionem, vel creationem, vel reditum. De quo postea.

Probatur secundò conclusio ratione formalis. De ratione omnis compositi materialis & physici est, constare ex materia & forma, non potest dici aliter corpus physicum: unde D. Thomas 1. parte quaest. 75. art. 4. & contra Gentes cap. 21. docet quod homo & reliqua animalia naturalia, ex sua definitione & essentia, constent materia & forma, tanquam partibus intrinsecis & essentialibus: Sed vermis ex speciebus sacramentalibus genitus, est verè compositum physicum & materiale: Ergo constat ex materia & forma, subindeque quando generatur ex huiusmodi speciebus, necessariò produci debet à Deo materia prima, ex cujus potentia, forma substantialis vermis educatur.

Confirmatur: Compositum physicum est ex se per se: Sed ex quantitate & forma substantiali non potest resultare unum per se: Ergo nec compositum physicum. Major patet, Minor probatur. Compositum per se debet fieri ex actu & potentia: Sed quantitas & forma substantiali non se habent per modum potentiae & actus cum actu & potentia, juxta Aristotelem, debent esse ejusdem generis: Ergo ex quantitate & forma substantiali non potest resultare unum per se.

Probatur tertio conclusio: Quando ex speciebus Eucharisticis generantur vermes, forma substantialis compositi generandi, educitur ab agente naturali: Sed non potest educi ab agente naturali de potentia quantitatis: Ergo necesse est quod tunc producatur à Deo aliqua materia, è cujus sinu forma substantialis vermis educitur. Major patet ex supra dictis, Minor probatur.

probat. Agens naturale non potest educere formam de potentia (subjecti, nisi illa potentia sit naturalis, hæc enim sola continetur intra limites agentium naturalium: Atqui potentia quam habet quantitas ad formam sustentandam, non est naturalis, sed ad summum obedientialis, subindeq; soli Deo subiecta: Ergo agentia naturalia non possunt educere formam vermis e sinu quantitatis.

41. Dices, quod quamvis quantitati absolute non sit naturalis illa potentia receptiva formæ substantialis, bene tamen quantitati per se subsistenti, ideòq; supposito primo miraculo, quo quantitati datus est modus per se existendi, naturale ipsi erit quod recipiat formam.

Sed contra: Capacitas recipiendi non convenit quantitati ratione illius modi, sed ratione propriæ entitatis: Ergo si antea non habebat capacitatem naturalem, nec postea habebit. Consequentia manifesta est, Antecedens probatur ex eo quod causæ materialis & formalis non alio modo causant, quam per exhibitionem & communicationem propriæ entitatis; unde dicitur communiter quod in causis materialibus & formalibus non datur distinctio potentie ordinariæ & extraordinariæ.

42. Deniq; suaderi potest conclusio ex variis absurdis & inconvenientibus quæ sequuntur ex adversa sententia. Si enim genitum ex speciebus sacramentalibus, nullâ constaret materiâ, sed solum quantitate, vices materiæ gerente, & formam productam sustentante, sequeretur in primis quod vermes geniti ex speciebus sacramentalibus, non essent composita neq; substantialia neq; accidentalia, sed monstra naturæ, aut semi substantialia, & semiaccidentia. Secundò sequeretur quod acetum ex speciebus vini corruptis genitum, non esset ejusdem naturæ & speciei, cum alio aceto ex vino corrupto genito; subindeq; quod non posset eosdem specie producere effectus. Tertiò, daretur miraculū perpetuum, quantitas enim illa quæ rationem haberet materiæ, esset sine subjecto, non solum quando duraret Eucharistia, sed etiam postea, usq; ad finem mundi; ita ut licet infinitæ generationes fierent successivæ ex ipsâ, semper sine subjecto remaneret, & vicem materiæ primæ exerceret, quia non est major ratio de una generatione, quam de alia. Demum fieri posset ut qui nutrieretur solis speciebus Eucharisticis, ita se haberet quod ejus anima partim informaret materiam primam, partim solam quantitatem; & sic quod ille non esset nisi semi-homo, & semicompositum; Quod est (ut rectè ait Soto) totam Philosophiam ludibrio exponere.

43. Ad locum verò D. Thomæ qui est præcipuum Adversariorum fundamentum, facilis est responsio, dicendo cum Cajetano, Capreolo, & alijs Thomistis, mentem D. Thomæ esse, quantitatem specierum accipere miraculosè in ipsa consecratione, quod fungi possit officio materiæ, & esse subjectum subsequentium formarum accidentalium, nempe qualitarum, species consecratas alterantem, non verò formam substantialem compositam quod de novo producitur, ad corruptionem illarum specierum. Unde cum adit, Quidquid posset generari ex materia panis, si adesset, totum posset generari ex prædicta quantitate dimensivâ, non sumit generationem pro educatione & receptione formæ geniti (illa enim non ex quantitate, sed ex materia à Deo producta edu-

Tom. V.

citur, & in ejus sinu recipitur (ut supra ostensum est) sed pro alteratione præcedenti, quæ talem educationem & formæ receptionem disponit: hæc enim alteratio in quantitate vices materiæ gerente recipitur.

46. Si autem quæras, per quam actionem à Deo producat materia e cuius sinu forma compositi geniti educitur, an per creationem, vel per conversionem quantitatis specierum in ipsam? Respondeo breviter, quod licet D. Thomas loco supra in prima probatione conclusionis citato, hoc indecisum reliquerit, & utrumq; probabile indicaverit, dicens illam vel per creationem vel per conversionem fieri; nihilominus magis convenienter dicitur fieri ex quantitate per conversionem quam de novo creari. Tum quia magis connaturale videtur, ut illud subjectum in quod agens naturale introduxit accidentia disponentia ad formam substantialem; cum non possit recipere ipsam formam substantialem, convertatur à Deo in materiam in qua debet recipi talis forma. Tum etiam; quia ex vi prioris miraculi, magis connaturaliter sequitur, ut sicut substantia panis fuit in corpus Christi conversa, ita quod remanet de substantia panis, scilicet quantitas, convertatur in materiam ex qua educenda est forma substantialis. Unde D. Thomas hic art. 5. in corp. & in resp. ad 2. & ad 3. docet, cum ex speciebus consecratis aliquod compositum substantiale generatur, materiam produci in instanti generationis, per conversionem quantitatis in ipsam.

47. Sed circa hoc gravis occurrit difficultas quæ solet pertractari in Philosophia, quomodo scilicet in tali casu vera generatio salvari possit? Omnis enim generatio creata essentialiter est mutatio, unde Philosophus 8. phys. textu 62. ait quod generatio est mutatio de non ente in ens, & D. Thomas quaest. 2. de potentia art. 1. ad 15. dicit quod generatio est species mutationis: At si cum ex speciebus consecratis aliquod compositum substantiale producitur, materia solum in instanti generationis producat à Deo, per conversionem quantitatis in ipsam, non poterit verè mutari, seu transire de privatione ad formam, cum in instanti generationis ipsa forma in eam introducat: Ergo tunc non poterit esse vera generatio.

48. Huic difficultati dupliciter respondent Thomistæ in Philosophia: Carmelitæ enim Complutenses disp. 2. de generat. quaest. 2. §. 4. & 5. cum alijs quos referuntur, dicunt generationem substantialem non esse essentialiter mutationem, sed resultantiam quæ definitur per mutationem, quia eam per se petit, estq; vera radix illius; subindeq; asserunt quod quamvis naturaliter non possit dari generatio sine mutatione, supernaturaliter tamen sine illa potest; & de facto sine illa reperitur, cum ex speciebus sacramentalibus corruptis aliquod compositum substantiale generatur.

49. Alij verò qui existimant generationem creatam esse essentialiter mutationem, aliter argumento respondent. Nam Joannes à S. Thoma lib. 1. de generat. quaest. 1. art. 1. & Martinez à Prado ibidem qu. 3. num. 18. dicunt quod cum de æquipollentibus eadem sit ratio, & idem iudicium, ut ait Cajetanus hic art. 5. ad quartum, ad hoc ut productio vermis ex speciebus sacramentalibus sit vera generatio, & mutatio, sufficit quod aliquid æquipollens materiæ, & generans

rens vices illius, scilicet quantitas, toto tempore antecedenti inlans generationis, sub privatione formæ fuerit.

50. Alij tandem asserunt, quod ut aliqua productio sit vera generatio, seueductio, non requiritur quod subiectum præcedat formam educendam, prioritate temporis, sed sufficit prioritas naturæ, in genere causæ materialis; Deus enim eduxit gratiam de potentia obedientiali naturæ angelicæ, & tamen in tali educatione subiectum non præcessit formam prioritate temporis, sed solum prioritate naturæ, in genere causæ materialis, quia Deus gratiam Angelis dedit in primo instanti creationis, juxta illud Augustini: *Erat Deus in Angelis condens naturam, & largiens gratiam.* Cum ergo in productione vermium ex speciebus Eucharisticis, materia in instanti generationis producta, præcedat simili prioritate naturæ in genere causæ materialis formam vermis, illa productio verè potest dicieductio & generatio.

51. Dices, Licet ad educationem non requiratur necessariò quod subiectum præcedat formam prioritate temporis, sed interdum sufficiat prioritas naturæ, ut patet in exemplo adducto de gratia Angelorum; ad veram tamen educationem semper exigitur, quod si subiectum non præcedat formam prioritate temporis, saltem terminet propriam actionem, distinctam ab ea quæ forma producit; alioquin formæ celorum & elementorum possent dicieductæ de potentia materiz, cum ea tales formas prioritate naturæ in genere causæ materialis præcesserit. Sed materia prima non potest terminare propriam actionem: Ergo si illa in productione vermium ex speciebus Eucharisticis, non præcedat formam prioritate temporis, sed in instanti hujus productionis à Deo producatur per conversionem quantitatis in ipsam, illa forma non potest dicieducta de potentia materiz, nec talis productio verè generatio appellari potest. Major patet, Minor probatur. Quod nullam habet propriam existentiam, est incapax terminandi propriam actionem; cum enim omne fieri ordinetur ad esse, quod non habet proprium esse, non potest habere proprium fieri: Sed materia prima, in sententia Divi Thomæ, & Discipulorum ejus, caret existentia sibi propria, nec existit nisi per existentiam formæ: Ergo est incapax terminandi propriam actionem.

52. Hinc difficili instantiæ respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ad eas verò probationem respondent aliqui recentiores Thomistæ, quod licet id quod non habet propriam existentiam, non possit terminare propriam actionem productivam, bene tamen actionem convertivam; quia actio convertiva (inquiunt) non terminatur necessariò ad existentiam rei quæ convertitur, sed ad solam ejus entitatem terminari potest.

53. Sed hæc solutio displicet, quia omnis conversio substantialis est vera productio substantiæ quæ loco alterius in eam transmutatur, ut ostendimus supra disp. 4. art. 2. §. 1. conclusionem ultimam: unde ibidem diximus, actionem convertivam quæ corpus Christi ponitur sub speciebus Eucharisticis, esse verè productivam corporis Christi, non simpliciter & absolute, sed tali modo, scilicet ex alia substantia, quæ in ipsum convertitur, & in cuius locum succedit. Hac ergo rejecta solutione.

A Respondeo dupliciter rem aliquam potest terminare propriam actionem: primò per ipsam talis res connaturaliter potest habere propriam actionem; secundò per accidens, & ob indigentiam alterius, ex eo quod juxta occurrentes alias circumstantias, non potest aliter subireturi materiam primam in nostro casu terminare propriam actionem; quia enim compellimur novo genitum ex speciebus sacramentalibus se non potest sine materia prima, ut contra rationem supra ostendimus, & aliunde non potest agens naturale sua actione illam producere ex vi prioris miraculi quæ substantia panis destructa, obligatur Deus ad producendam materiam primam; quæ productio est tantum per accidens, ob indigentiam prædicti causæ, & indispensabilem petit conjungi actioni agens naturalis, simul & semel educens formam substantialem, quæ actione tota composita communicatur unica existentia.

B Ad argumentum ergo respondeo, quod quævis id quod terminat propriam actionem per se & connaturaliter, gaudere debeat propria existentia, non tamen quod terminat solum ob indigentiam explicatam. Cujus ratio est, quod quæ ponitur tantum ad subveniendum prædictæ indigentiz, non debet terminari necessariò nisi ad illud per quod ipsi subvenitur: videtur autem ipsi sufficienter, per actionem terminatam ad solam entitatem materiz, quia hæc actio ponitur tantum ad producendum in composito genito materiam, ad hoc præparat ut agens naturale possit educere formam dependentiam illius, ac proinde dependenter ab eadem salutar: unde cum causa materialis non cadit in quantum est actus existens, sed tantum in quantum est entitas, ut suppono ex Tholomeo, consequenter subvenit sufficienter indigentiz propter quam ponitur hæc actio, per hoc quod dicitur terminari ad solam entitatem materiz. Unde quando dicitur: omne finem naturæ ad esse, distinguendum est: omne finem se, concedo. Fieri per accidens, modo exponeo. Sufficit enim quod conjungatur indispensabilem alteri actui per quem communicatur esse in eodem instanti.

D Legendus est ultimus articulus, in quo ostendit Sanctus Doctor, quod si species consecratæ extraneæ, quæ in tanta quantitate collocantur, ut ad totas species pertingat, & in specie mutetur in aliam, desinet ibi esse inquam Christi. Si verò tam parva fiat aliquid, ut non possit per totas species diffundiri, sed solum per aliquam partem illam, tunc esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alijs.

DISPUTATIO VII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

Ad questionem 78. D. Thomæ.

Cum forma hujus sacramenti consistat in verbis quibus materia consecratur, hæc duplicem habet materiam, nempe panem & vinum, ita & duplicem formam, scilicet formam consecrationis panis, & formam consecrationis vini, de quibus hic agendum est.